



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **GAUDIO EXSULTAMUS** MEMORIAE PRODITUR SUMMUM  
PONTIFICEM IOANNEM PAULUM II  
DIE UNO ET VICESIMO MENSIS MAII ANNO MCMXCV,  
OCCASIONE DATA VISITATIONIS APOSTOLICAE IN URBE OLOMUCENSI,  
IMAGINEM CORONAVISSE BEATAE MARIAE VIRGINIS, QUAE SUB TITULO  
MATRIS DEI IN SACRA AEDE VISITATIONIS LOCO VULGO DICTO  
«SVATY KOPECEK» ARCHIDIOECESIS OLOMUCENSIS VENERATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Gaudio  
exsultamus cum occasio Nobis datur ut Nostram pietatem in Beatissimam Virginem Mariam significemus, quae multiplice  
intercessione in suo pergit officio aeternae salutis dona nobis conciliandi (cf. *Lumen gentium*, 62). Libenti igitur animo  
precibus concessimus Venerabilis Fratris Ioannis Graubner, Archiepiscopi Olomucensis, qui, votum expromens suum et  
Christifidelium sibi concreditorum, rogavit ut Ipsi Nos in Nostra visitatione Apostolica ad urbem Olomucensem gratiosae  
imagini Beatae Mariae Virginis, quae sub titulo Matris Dei in sacra aede Visitationis loco vulgo dicto «Svaty Kopecek»  
archidioecesis Olomucensis veneratur, pretiosum diadema imponere dignaremur. Volentes ideo in hanc caelestem  
Matrem aliud Nostri amoris testimonium dare eiusque cultum augere, die uno et vicesimo mensis Maii anno MCMXCV  
supra dictam claram imaginem pretioso diademate, benedictione sacrato, sollemni redimiimus ritu. Ut autem huius  
eventus posteris memoria traderetur atque indicaretur fidelium voluntas continenter Dei Matrem diligendi, sequendi,  
venerandi, quae auxilium est omnium Christianorum, has Litteras dari iussimus, facti testes verissimas. Rebus  
quibuslibet minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Martii,*  
*anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodecimmo. ANGELUS card. SODANO*

*Secretaries Status © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana*

---